

~~Cap.^a del Est.^o 4 T. 2.º n.º 33~~

S8-6 31

~~62 3 f~~

~~4 B 3.~~

HIPPOCRATIS COI MEDICORUM Principis; De natura Hominis Liber.

ACCESSERVNT BLASII Hollerij Viuarienſis; Medici, Commentaria.



HOMERVS *Iliad.* λ.

ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Franciſcus Behem excudebat.

Anno M. D. LVIII.

ornatissimo viro D. Ioanni Granerio Lugd. secretario
Bl. Hollerius vivarien. D.D.
die 29 iul. 1558

Ioan. Sapidus Lectori.

Hippocrates Cous medicæ doctißimus artis,
Qui summis fuerat cura, salusq; viris.
C[illegible]poris humani quæ sit natura libello
[illegible]oc, tamen arguta cum breuitate, docet.
[illegible] nimis obscuros sensus manifestat abunde,
Blasius Hollerius, dexteritate sua.
Propterea qui uis bene sanum corpus habere
Hoc opus exiguum fac age, sæpe legas.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC Domino: Domino Ottoni Henrico, Comiti Palatino Rheni: & utriusque Bauariæ Duci. Sacrique Romani Imperij Electori, &c. Domino suo Clementissimo. Blasius Hollerius Viuariensis, Medicus. S. D.

CVM EAS RES CONsidero Illustrissime Princeps & Elector, quibus Reges & Principes tum Patrũ, tũ nostra memoria, immortalẽ sibi laudem et gloriã compararũt: ij sanè humanę societati plurimũ profuisse videntur, qui literarũ gymnasia, veluti Academias, cõstituerunt. Quod & Mitylenæi olim non malè intellexisse videẽur, qui eas tantũ

Ciuitates florere posse iudicarunt, in quibus literarum studia colerentur. Quid enim praeclarius & honestius dici queat, aut laudabilius & sanctius cogitari? quam illas artes & disciplinas mortalibus discendas proponere, quae humanae vitae sunt non modo vtiles, verum etiam necessariae. Harum siquidem praesidio Respub. omnis tranquillius, rectiusque administratur. quod quidem non te latet Princeps Illustrissime: qui post recognitam in tua Ditione religionis Christianae doctrinam, illam quoque Academiam Heydelbergensem, rectè quidem & prudenter à maioribus tuis olim institutam, sed temporum iniuria, & hominum malè eruditorum ignoratione, & incuria neglectam, ac veluti collapsam, restituendam susceperis. Inde optimos & in quouis literarum

genere doctissimos viros vndiquaq́;, magno quidem sumptu & impensa, sed tua perpetua laude & celebratione deligendos statueris. quo fit vt nostri seculi Homines tibi optima quæq́; præcentur: & posteritas omnis plurimum debere fateatur. Nec sanè mirum: nam mea quidem sententia non minoris (imò longè pluris) æstimandi sunt, qui artes & disciplinas pristinæ restituunt integritati, quam qui Ciuitatibus amplissimis iugum seruitutis excutiunt, redita libertate. Cum igitur medicinæ studiosi melius quam antea, fœliciusq́; in illa tua Illustriss. Princeps Academia instituantur, libellum de Natura hominis secundum Hippocratem breuibus, & vt ego puto, facilibus commentarijs à me illustratũ, sub præclari nominis tui Princeps Illustrissime auspicio, in aspectum publicum visum fuit emitterre

Etenim Alexandrū magnū & Marcū Romanorū imperatorem, in cognitione corporis humani mirificè oblectatos fuisse, historijs est traditum. Præclara & illa sententia, quæ pro foribus templi Delphici ab Amphictyonibus, vel vt Socrates existimauit, ab Appolline, γνῶθι σεαυτόν, est inscripta. quæ quidem se ipsum cuiq; tradit cognoscendum. siue ad corpus siue ad animum referatur. quando & admiranda vtriusq; præstantia est & vtilitas. Sed dubitaui aliquantum apud me, liceret ne mihi operam hanc meam impolitam humilemq; tanto Principi, & tanta virtute ac dignitate præstantissimo ascribere. Verumtamen qua prædicaris apud omnes Clementia, meam hanc dubitationem excussit. Preterea originis humanæ naturæ (de qua hic agitur) dignitas, meū animū excitauit vt operam nostrā hac in parte iuxta

tum

tum medicorũ tum philosophorum assertionem, tibi Principi illustrissimo, bonarumque literarum patrono ac parenti tribuerem dedicaremque. Moris siquidem mihi vbicunque locorum vixerim semper fuerit, eorũ meminisse, quorum beneficio & gratia bonæ literæ, temporum iniuria sepultæ, reuiuiscũt. Labores igit̃ nostros, p̃ tua insita Clementia Illustriss. Princeps, æquo animo accipias. Et maiora non multo post, Deo permittente, conabimur dare mortalibus. Interea & post annos etiã multos, Deus Opt. Max. te ad sui gloriam incolumen & prosperum conseruet. Argentorati, Anno post Christũ natum. M. D. LVIII. Calend. Martijs.

Typographis S.

ROgamus atq; obsecramus ne hos Bl. Hollerij, D. Medici, In lib. de nat. Hominis secũdum Hippocratẽ Commentarios, uestris typis excipiatis: donec meßis nostræ fructum perceperimus. Id enim dignißimũ mutuæ charitatis est pignus.



HIPPOCRATIS COI MEDICORũ Principis; De natura Hominis Liber.

Cum

BLASII HOLLERII Viuariensis: Medici, Commentarijs.



QVicunq; de Natura humana supra quàm medicæ artis intersit, disputantes audire consueuit, huic sermo noster minimè est aptus. Neque enim prosus aërem, ignemuè aut aquam, seu terram, hominem dixerim, neq; aliud quidpiam. quia in eo minimè vnum apparet. Sed quibus isthæc placebit dicere permitto.

Hippocrates Philosophos in cõmunibus mundi, & rerum omnium principijs aberrantes, primũ arguit. Deinde medicos, qui de hominis ac cęterorum animalium sanguine prœditorum humoribus (qui elementa in corporibus vocantur) malé fuerunt opinati. quos qui audire consueuit, Hippocratis hac in parte non est idoneus auditor. Quia malè iam persuasus; falsoq; imbutus dogmate, veris demonstrationibus non credet. sed vel aures occludet, vel repugnabit. Aliqui enim quos Hippocrates breuitatis causa pretermisit, naturalium rerum vnum duntaxat principium, vnde hominem constare dicebant, statuerunt. sicut Anaximenes Milesius aërem: ex quo hominis naturam fieri existimauit. Sed Diogenes Apolloniates ex Nicolai peripatetici mente, non aërem, sed intermedium quoddam inter ignem &

ipsum

ipſum aërem principium rerum naturaliū inſtituit: & non nominatim aliquod elementum. Hippaſas Metapontinus & Heraclitus Epheſius, vnum principium mobile ac infinitum in rebus naturalibus dixerunt, vt pote ignem. Aiunt enim cuncta ex rerum raritate conformari. quia rarum facilè per cuncta recipitur & ob id humanæ vitæ parentem & opificem, imò omnium ac ſingulorum effectiuum ignem dicebant. *Principium mobile, ac infinitum qui ſtatuerint.*

Anaximander Praxiadæ Mileſius, vnum mobile ac infinitum etiam inſtituit principium: ſed nullum elementum eſſe voluit, verum infinitam quandam naturam: ex qua omnes cœli & vniuerſus mundus & quicquid in ipſis continetur. In qua ſententia & Meliſſus fuit, qui vnum etiam eſſe principium, ſed ex nullis elementis putauit. Fuit alius quoq; Philoſophus Thales nuncupatus, qui

qui aquam sensilium omnium princi piũ statuit. eo quod proli generandæ maximè est accommoda: & ad nutritionem educationemq́, nec non ad edendum partũ, imò ad cunctarũ rerũ formationẽ prorsus apta. Idcirco omnium esse principiũ arbitartus est. At terram principiũ esse, nullus scriptum reliquit, cum sit ad motum inepta. tametsi Sabinus eam à Xenophane principium fuisse dictam scripserit. nullo tamen in loco testante Galeno, sic pronunciasse Xenophanem inuenitur. itaq́ terram nullo modo principium, nisi concursu aliorum elementorum Hippocrates hoc loco, & Aristoteles, 2. Physicorum esse tradunt. Cum autem Hesiodus primam corporum naturam (quæ & principium antiquis dicitur) terræ contribuit, id secundum popularem existimationem accipiendum. sicuti Aristoteles in primo Metaph. ostendit.

dit. Ex rerum igitur naturalium pro-
ductione, ac medicæ facultatis expe-
rientia, non ab vno quodam simplici
fieri potest generatio. alioqui quod
generaretur doloris esset expers : &
ad nullam senectutem compellere-
tur. vel si dolor adesset, vnum tantum
medicamentum perpetuo sufficere
etiam Galenus optime ostendit. Gal. lib. 1. element.
Sed qui priscorum sectis & institu-
tionibus sunt addicti, obstinatè in
eadem perseuerant sententia, asseren-
tes continuò vnam prorsus solam
naturam esse. siue principium, siue
elementum dixerint. Atque substan-
tiam illam vocarunt immobilem,
permanentem, formis omnibus per
se priuatam : sed quæ ab iisdem om-
ni tempore agitaretur. Sunt qui alia
rerum principia excogitarunt : vt
Diogenes Apolloniates, qui vniuer-
si naturam ac rem esse infinitum, &
sempiternum quoddam, vt Theo-
phrastus

phrastus testatur, esse dixit. ex cuius raritate & densitate, nec non suarum affectionum mutatione, aliarum formas asseruit generari. In hac quoq; sententia fuerunt Melissus & Anaximander. Anaxagoras etiam elementa infinita protulit: contra verò Empedocles finita. Interea fieri non potest vt hominis sensiliumq; rerum vniuersa natura (quæ ex materia & forma perficitur) vna sit: sicuti illi affirmabant. Neq; ex eo illis resistit Hippocrates, quod nõ prorsus in nobis sit aër, & reliqua elementa. ex quibus hominẽ & cuncta animalia constare postea dicet. sed non vult hominis naturam penitus ex aëre, aut igne aut aqua, seu terra; aut alio quopiam, in quo corporis humani constitutio & affectiones minimè vnũ indicant, consistere. tametsi qbus alius est sensus, illis iuxta arbitrium asserere permiserit. ne cum obstinatis contentionem

nem aggredi videatur. Nihilominus eos ab opinione ad scientiam & veritatem, à sensibus ad mentem, à singularibus ad generales noticias velit conuertere. Quidam ad huc principia rerum omnium, vacuum & Atomos esse dixerunt: sicuti Leucippus, Democritus, & Epicurus. Vocaueruntque atomos pusilla admodum corpuscula quæ propter exiguitatem perspici non possunt. qualia sunt ramenta, & ea pulueruIenta quæ per rimas & exigua foramina in solis radijs visuntur. quæ sanè non elucente sole minimè apparent, neque videntur, vt iam diximus. propter ipsorum tenuitatem. Atque nonnulli vt Epicurei. præ duricie infringi posse negant. Alij verò qui magis Leucippo additi sunt, id ad ipsorum exilitatem referunt, quod nullam admittant sectionem. Hoc igitur sermone, qui generis est demonstratiui, nō ex vno elemen-

to hominis originem constare Autor docet. Nam corporis humani ratio et accidentia diuersum indicant, vt iam ostendimus, atque in sequentibus dicetur. Interea ipsi errare malunt, eamque opinionem quam semel conceperunt defendere, quàm exquirere quid constantissime dicatur.

AT verò qui hæc defendunt, non rectè mihi sentire videntur. Cum enim idem sentiant, idemque concludant, loquuntur tamen diuersa. quippe vnum esse aiunt, quodcunque tandem est: & idipsum esse vnum & totum: sed iuxta nomina non consentiunt. Etenim alius ex ipsis aërem esse, hoc vnum & totū dixit: alius ignem: alius aquam: alius terram.

&

& addit vnusquisque ad opinionē & sermonem suū, testimonia & signa, quæ nullius sunt momēti. Cū autem vna omniū sit sententia, diuersa veró loquant̄ eos non intelligere quæ ꝓfitent̄, est manifestum. Quod ex eo vel maxime quis cognouerit, si ipsorū controuersijs interfuerit. Nā dum ij inter se decertant, nunquā ter ordine idem homo eodē in sermone fit superior, sed modo hic modo alter superat: vt cuique fuerit linga maxime fluida, ac populo grata. Atqui istud erat, qui de rebus se recte cognoscere pronunciarent, inuictas præstare suas rationes, si ipsi vera cognoscere & recte iudicare possint. Verum huiusmodi homines uidentur mihi

verbis ſeſe dum diſputant, ob ig norantiam ſubuertere, & Meliſ ſi ſententiam confirmare. Sed de his hactenus.

Ignorantiæ illos veteres accuſat Hippocrates, qui male ſenſilium en- tium elementa, & principia cognoue rint. Cum enim ij vnum omnium re- rum elementum & inſtituant & con- cludant: poſtea hoc ipſum variè ac di uerſe nuncupent, appellentq́, ſignũ eſt eos non cognoſcere ea, quæ pro- fitentur, & propria artis principia ig- norare. Nam ſi cognoſcerent, & ſci- rent, illud idem, vno modo ſemper di cerent, & appellarent. Sed iſta primi principij varia & in conſtans aſſertio manifeſtè prodit ipſos ignorare, id ipſum quod atteſtantur. Quæ autem ſigna & argumenta nullius valoris dicantur, Galenus libro primo de elementis

elementis ex Platonis instituto indi-
cauit. ubi falsas, & deficientes ratio-
nes vocauit, quæ vanæ sunt. Neq;
enim vno medio communi & extra-
neo possunt demonstratiuè quatuor
oppositas inferre conclusiones. Nam
qui aërem primum esse aiūt elemen-
tū, sic argumentantur. quoniā ipsum
rarescentem, fieri ignem: densatum
verò aquam: et si adhuc magis densus
fiat, terram. Eodem modo, qui ignem
principium fatentur. quoniam ignis
in vnum coactus, atq; modicè densa-
tus, aërem: quodsi magis adhuc pa-
tiatur, ac vehementer comprimatur
aquam: si absolutissimè et plurimum,
terrā effici ipsi dicūt. Similiter aquam
primum omnium elementum non-
nulli asserebant, quod hæc densata ac
ueluti compressa terra fiat, laxata ve-
rò & fusa aër, quod si magis laxa ac
fusa tenuisq; fiat ignis. Et sic reliqua
cuncta fieri ex eius liquefactione &

Elementū quomodo p se principium ut sit conentur philosophi ostēdere.

 com-

compreſsione aſſeuerãt. Ob id aquã primũ omnium conſtituunt. Et qui terram principium ſeu primum elementum dicunt, ſuam rationem ſic afferunt: quoniam ſi mediocriter inquiunt, liqueſcat ac fundatur, aqua fiet, ſi vero magis rareſcat aër, ſi vehementer hoc patiatur, in ignem conuertitur. Quare ex mutua in ſe elementorum mutatione, ratio eorum proſilit, qui vnumquodlibet elementum eſſe ſtatuunt. Porro qui vum aliquod ex elementis quatuor, naturam rerum ſtatuunt, cætera ad rerum generationem concurrere non negant, ſed hæc negant eſſe elementa, & corpora ſimplicisſima, quæ ex ſuo cuiq; elemento prodeunt. Elementorum quoq; ipſorum denſitate & raritate compoſita, cuncta fieri adſeuerant: Sic enim vno & eodem ratiocinio, ſingula elemẽta principiũ rerũ omnium & ſubiectum eſſe concludunt. Sed quum

quum diuersa & opposita ex iisdem mediis & principiis inferant, ac concludant, vanas ac falsas rationes dicimus. At vnũ elementũ magis quam alterum, primum omnium principium & elementum, vt inquit Plato, esse non potest: cum nullum ipsorum impermutabile sit, vel aliorum omnium permutationis causa. Quod autem ipsi ea quæ profitentur ignorent, eorũ testimonium qui illorum disputationibus (tanquam cum illis nunc agat) præsentes aderant iudicandum reliquit. Hi enim palàm testabantur, nunquam horum aliquis ter ordine eadem in disputatione alios conuincere; sed modò hic superior, modò ille, qui præsertim fuerit lingua volubiliori, magisquè ad contentionem idonea. sed iustum est non verborum loquacitate, sed veris & certis demonstrationibus suas rationes inuictas semper adferre. Ve-

Verum ſeſe ob ignorantiam ſubuer-tunt, utpotè cũ in ſuis rationibus op-pugnantia enunciant. Aiunt enim primò vnum & omne eſſe, quodcun-que tandem eſt: quod ex ſui natura prorſus informe ſit, ſicuti Plato do-cet. Poſtea id ipſum vnum & totum ex nominatis elementis vnum conſti tuentes forma prædítum pronun-ciant. Cum itaq; id quod ex ſui natu-ra informe eſt, formatum dicunt, tunc oppugnantia in ſuis ſententijs affe-runt. Ob id videntur ſe ipſos deſtrue-re propter ignorantiam, quam in ver bis ſuarum rationum oſtendunt, & Meliſsi videntur approbare ſenten-tiam, qui vnum quodlibet & totum fuiſſe aſſerebat, & rectè ad æquatum omnium principium appellari. quæ ratio vana eſt. Meliſsi igitur ſenten-tiã approbare inquit videntur. Nam ſicuti iſte vnã communem informem eſſantiam ponebat omnium ad æqua tum

Meliſsi de principio iudicium.

tum principium esse: pariter & illi tandem informem essentiam, vnum ex quatuor simplicibus corporibus adæquatum omnium elementum. In hoc solum differentes, quod hi transmutabilem, & particulari quoque elementorum nomine eam substantiam dixere, quam Melissus ens vnum intransmutabile, & vniuersum appellauit. vnde Aristoteles necesse est, inquit, vnum esse principium aut plura. si vnum, aut immobile, ut Parmenides & Melissus dicunt: aut mobile, uti Naturales. At verò ens illud vnũ qualecunque Melissus constituat, neutiquàm sensibilium omnium adæquatum & præcisum principum dici potest: quemadmodum nec ex nuncupatis elementis aliquod vnum totum & quodlibet. Neque enim solum ilud vnũ, quod Melissus proferebat, corporũ omniũ quę generãtur et

 intereunt,

intereunt, principium tantum assere-batur, sed præter id, primæ quatuor qualitates: caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, & earundem temperies, naturalium corporum vera principia constituuntur. Confuderunt igitur veteres illi Philosophi initia corporea (quæ postea elementa dici cœpta sunt) ab incorporeis, quæ propriè rerum principia appellantur. Et sic dum imprudentes materiam primam constituerent, eam non agnouerint, mox secũ dissidentes, illud quod in corporum mutationibus subiectũ communiter omnibus est immutabile, commune fecerunt principium. Atque corpus naturale, et per sese consistens, vel aërem, vel ignem, vel aquam intellexerunt. ex quorum altero omnia nasci, vt ante demonstrauimus, & commune omnium esse principium autumant. veluti qui ex igne cuncta generari putat, ignem initium esse

Corpus naturale et per se consistens malé ab antiquis intellectum.

esse cõcludit, & sic de aliis tribus existimandum. Sed suis sese verbis ob ignorantiam subuertunt. cum nõ solum alienas sumptiones adferant, sed contrarias quoq;, & à sua causa remotissimas. Sic & Melissus id quod est vnum & solitarium, ob id immutabile esse voluit: videturq; substantiam quandam considerasse quatuor subiectam elementis. non generatam, nec curruptioni obnoxiam, & hanc vnum & omne nominauit.

MEdicorum nonnulli ex solo sanguine hominem constare dicunt: alii ex bile: aliqui ex pituita. Atq; omnes eandem conclusionem adducunt, dum ex vno quodam eum esse statuunt, quod cuiq; eorũ magis arridet. Et cum vnum aliquod sui caloris

frigorisue cogitur, speciẽ ac vim immutari affirmant. fieriq́ dulce amarum, album, nigrum: aliquid deniq́ aliud, quod multis ac diuersis qualitatibus, varié sit temperatum.

Simili errore medicos ueteres arguit, quo & Philosophos.

Post expositas quorumdam Philosophorum de communibus naturæ principijs opiniones, & falsa iudicia, transit ad simile medicorum de humoribus decretum. Atq́ eos non dissimili errore obcæcatos fuisse indicat. Hi enim vnum aliquem solum ex quatuor humoribus animal esse tutati sunt, & ex eoq́ conformatum. tametsi reliquos humores ad corporis generationem cõcurrere, vt antè diximus, non negent. sed primos esse nolunt & generatos affirmant, ex suo cuiq́ humore elementari. vt pote sanguine, pituita, & vtraq́ bile. de quibus in no-

stris

ſtris medicæ artis inſtitutionibus di-
cetur. Fit autē ſanguis, vt dulcia quæ
uis, à calore moderato: Pituita à remiſ
ſo: bilis flaua vt amara omnia, quem-
admodū & bilis atra vt cuncta acria,
ab immodico. Et qui ab vno aliquo
humore animal fieri iudicarunt, reli- *Humorū*
quos ex illo humores ꝑ calorem aut *4. genea*
frigus, qualitates actiuas, transmuta- *ratio.*
ri autumant. vt ſanguis, aduenіente
frigore, pituita fiat: calore vero acci-
dente, bilis vtraq́. Eodem modo qui
pituitam aut bilem alterutram eſſe
animal ſtatuunt, eam in alios humo-
res ſe calidiores, ſi qui ſint, calore tra-
ijci, & frigidiores frigore effici exiſti-
marint. Vnus quiſque autem humo-
rum quatuor, formam mutauerit, *Humores*
ſi calore, aut frigore, in humorem *quando*
alium tranſierit: & facultatem quo- *formam*
que vna cum temperamento varia- *mutent.*
uerit.

Nam

Nam cum sanguis, exempli causa, erat, calidus erat & humidus, cum vero pituita factus est, frigidus & humidus: cum autem bilis alterutra, calidus et siccus. Similiter fit in mutua aliorum humorum secundum alios transmutatione. Neq; humor in alium transmutatus, formam eius & facultatem tantum recipit, sed & consistentiam, colorem, odorem, saporẽ, leuitatẽ, & qualitates cæteras. quemadmodum ex sanguine bono, crassi et tenuis medio, rubicundo, oderato, dulci, leuiusculo: illis fit pituita crassa, alba, inodora, vel graueolens, dulcis, insipida, acida, salsa grauis. Ex eodẽ quoq; bilis flaua, amara, leuissima, bilis atra, & acris grauissima. Sic factos ex aliȷs humoribus alios, totam eoram naturam induere existimant, in quos transeunt, priore relicta. Itaq; qui corporum mutationes fusione & concretione fieri iudicant, calo-

rem

rem & frigus effectrices, vt diximus, omnium mutationum causas statuere.

HÆC quidem & his similia aliqui profitentur. Ego autem dico, si homo vnum esset, nunquam doleret. Neque enim esset á quo dolore afficeretur. Quod si doleret, vnicum tantum remedium necessario sufficeret.

Horum imperitiam huc vsque arguit Hippocrates, qui ex vno quopiam initio nasci hominẽ dixerunt. Nunc decretum illorum quasi subuertere aggreditur. Ait igitur, si vno tantum elemento homo constaret, nullo doloris sensu posset affici. At vero dolere hominem manifestũ est, ergo vana est opinio illorum, qui vno elemento hominis ortum attribuunt. Atque modi

di curationum, qui varij sunt, & multiformes, ab his qui vnum ens omnia esse tradunt euerterentur. Nam vel nihil omnino corpora nostra, vel vnũ tantum patiuntur. Et in hoc vnum sufficeret remedium, atq; vnus medendi modus, vt pote cum vna tantum sit ægritudo. Sed multæ ac variæ vt mox dicet, sunt morborum species, vnde et diuersa opus esse remedia cognoscitur. Quapropter nec Thalem, nec Heraclitum, aut Anaximenem, Melissumue seu alios, vnicum absolutè constituentes elementũ & principium, rectè sensisse veris demonstrationibus conuincit. Postea etiam contra Anaxagoram, Leucippũ, Empedoclem, Democritũ, plura & infinita principia profitentes, eaq; ipsa genere vnũ, atq; potentia statuentes. Porrò dolor (qui vehemens affectio, ac preter naturam impetũ faciens, dicit) duo necessario exigit, vt potè sensum

Dolor duo necessaria exigit.

&

& alteratione: sed Atomi Epicureorũ, neutrũ habet; nec similitares Anaxagoræ partet; nec quatuor Intrãmutabilia Empedoclis Elemẽta. Quare fieri nõ potest, vt quicquã ex his com positũ doleat; quando ex impatibilibus, & sensu carentibus elementis, & Atomis constat.

AT vero multa habentur, ac corporibus insunt, quæ cũ præter naturam à se mutuo calida, frigida, sicca, aut humida facta fuerint, producunt morbos, Hinc plures morborum species. Et pariter multiplex curandi ratio.

Ex morborum multitudine, quã quotidiè inspicimus, multa in corpore præter naturam augeri, aut aliquẽ quatuor primarũ qualitatũ excessum

habere

habere iudicamus. Et cum non sit vna, sed varia & multiplex morborũ forma ac species, non vna curandi methodus, neq; vnum medicamentum, sed plura ac varia immeditatè iuxta morborum naturam, corporis temperamenta, ætatem, anni partem, regionem, consuetudinem, & huiusmodi licebit accommodare. Nam qui ex calore laborat, per ea quæ refrigerant simili qualitate curantur, & contrà. Sic per exsiccantia sanitati restituuntur, quos humiditas offendit, & è diuerso. Præterea nonnulli ex his quæ astringunt, alij per ea quæ subducunt, sanitatem recuperarunt. Eodem modo de alijs tum primis, tum secundis qualitatibus intelligendum.

Varia ac multiplex morborũ forma ac species.

SED ego quidem censeo qui hominem ex solo sanguine constare velit ostendere, eum mutare

re formam, aut esse uariabilem, aut saltem aliquod anni tempus adesse, aut hominis ætatem: unde homo solum sanguinem contineat. Verum aliquod esse anni tempus, quo is unicus ipso inesse uideatur consentaneum non est. Necq; aliter aduersus eos sentio, quicuncq; ex una sola pituita, uel bile hominem esse factum asseuerant.

Eam sententiam nunc prosequitur Hippocrates, qua paulo ante dicebat, quosdam medicos aberrasse in corporum principijs. Atcq; ex vno & simplici humore hominem constare non posse, ex ipsa rerũ origine ostendit. Nam si vnus duntaxat humor hominem constituat, tunc in hoc natura dissimile nihil effingere poterit, necq; ulla contrarietas valebit inesse. Quan

doquidem dissimilitudo et contrarietas penè diuersas et contrarias formas esse debēt. At in vnico humore, vnica tantū forma reperitur. Dissimilis igitur & contraria forma nulla erit: vnde nec permutatio in ipso cōtinget. Quapropter qui hominis ortū à solo sanguine, vel alio quopiam humore simplici indicat, is deberet certis demonstrationibus ostendere, eū nō in alios humores cōuerti. Sic enim mutare formam & variabilem esse intelligo. Interea si quis non ab intrinseco, sed ambiente aëre, et extrinseca prędominante occasione, animal posse permutari dicat, ad ea respondit Hippocrates cū dixit, eo anni tempore, & ea hominis ætate, qua consors & conforme elementum dominatur, seipsum inalterabilē, et impermutabilem homo ostendere posset. quando nec ab intrinseco nec ab extrinseco, tunc permutari valeat, vtpotè cum nulla à similibus & æqualibus

Formam mutari quomodo intelligendum.

æqualibus formis sit alteratio & permutatio. Ob id pituitosi hyeme, biliosi æstate, vere sanguinei, & autumno melancholici proportione cõueniũt. Quapropter non deberent ipsi iuxta illorum assertionem in morbos incidere, cum non habeant qualitates sibi diuersas, à quibus offendantur. Sed quia corpus, vt illi putarunt, non vno constat humore ipsis anni partibus per se conueniente, homines ægrotare contingit. Eadem est ratio in ætatibus. nam puer veri, iuuenis æstati, senex autumno, decrepitus hyemi, proportione magis respondet. nõ tamen à morbis sunt immunes, cum eorũ corpus non ex vno humore, sed diuersis compactum, ac congenitum habeatur. vnde & alterationes & mutationes adesse videmus. Nullum igitur animal simplici aliquo constabit humore, cum nec ætas, nec pars anni detur, ad ea quæ ipsi proponunt, demonstranda.

Humores 4. anni partibus proportione conueniunt.

Nam ex quibus hominem constare dixero, ea pro lege, natura, & ætate: tempore etiam tam calido quam frigido demonstrabo. Sed et argumenta, et caussas necessarias afferam, ob quas singula in corpore augeri, vel imminui contingit.

Omni ætate & tempore humores quatuor hominis essentiam & naturam constituentes ac seruantes, in corpore contineri se offensurum promittit Hippocrates, idq; secũdum legem, id est hominum existimationem, vt Galenus inquit, et naturam & rei veritatẽ. Argumenta etiã adducet & caussas necessariò veras, vnde penes ætatũ anniq; temporũ differentias, vnũquodq; augeri imminuiue contingat.

PRincipio igitur hominis generationẽ ab vno principio

fieri nequit. Quomdo aũt quod vnum eſt, generare aliud poſſet, niſi quid aliud admiſceretur? Cũ ne mixta quidem niſi quæ miſcentur eiuſdem ſint generis, eandemq́; habeant facultatem, generate poſsint: neq; ſimilia efficiantur.

In Philoſophos & Medicos, qui communiter ex vno elemento hominem conſtare aſſerebant, hic ſermo dirigitur. Oſtenditq́; generationẽ nullam poſſe fieri, ſi vnum fuerit tantum elementũ & principium. Quo pacto inquit, id quod vnum eſt aliud generaret, niſi cum alio miſceatur? Siquidem generatio, ſimplex naturæ actio non eſt, ſed ex alteratione & formatione compoſita. Porrò quæcunq; in hoc corruptibili ſeculo inſũt, aut ſimplicia aut cõpoſita eſſe dicimus. Simplicia, ut ſunt quatuor prima corpora, aër,

Generatio fieri nõ poteſt ex uno ſimplici elemento.

ignis,aqua, terra. quorum generatio nes simplices mutationes nuncupantur. Composita verò sunt omnia ex ipsis quatuor, aut his pluribus constructa. Horũ generatio productio ue,permutatio est materialiũ ac passiuarum facultatum ab actiuis: utpotè caliditate et frigiditate dominantibus. Et hæc mutuo etiam agentia & patientia,eandem possident facultatem, prout dissimilia et contraria existunt, Galenus cognata et coniuncta in substantia nũcupauit. Ex quatuor igitur elementis impari mixtura coeuntibus,particulatim omnium corporum fieri generationes Galenus lib. 4. de simpl.med.facul.indicauit. Atq; ex ea imparitate perficit natura & proprietas corporũ particulariũ, quod malè non intellectum ab Ouidio Poëta, sic dicenti: Discors concordia, foetibus apta. Neq; ex pluribus simul mixtis quicquã generari potest, nisi quę miscentur

Generationis ratio.

ſcentur eiuſdem ſint generis, hoc eſt, vt in materia conueniant. Itaq; oportet ea quæ miſcentur ad generandum cõſimilia ac conuenientia eſſe ſubſtantię. Non enim ſi lapis ligno, aut lignũ ferro admiſceatur quicquã generabitur, cũ non habeant familiarẽ ſubſtantiam, neq; eandem vim obtineant. Similis eſt ratio in animalibus. quæ ſi diuerſi generis inter ſe fuerint, etiam ſi congrediantur, non generabunt. veluti ſi vulpis aut vrſi ſemen cum leporis, aut capreolæ ſemine admiſceatur, infœcundũ erit. cũ diſsimilis admodũ ſint ſubſtantię, nec conſimilem poſsideant facultatem. In animalium diuerſarum naturarũ genitura cernitur: velut in equis & aſinis, vulpibus & canibus. ſed generatur ex eorũ coabitatione mixtũ, videlicet ex ambobus animal. At quorũ naturæ à ſe mutuo magno diſtant interuallo, etiamſi aliquãdo coëant, nõ tamẽ generare poſſunt,

aut

aut si forte fortuna generarent, dissimile sub ipsis animal produceret. quare dixit, Neq; similia efficientur. Eodem modo in plantis: quæ si in diuersas arborum species insitæ fuerint, tantum abest vt fructus producant, vt ne coadunari intercipiq; possint.

RVrsus nec generatio futura est, nisi calidum, frigidum, humidum, siccum, mutuo actemperatè, nec non æquali modo sese compatiantur. Quod si alterum altero valentius infirmiusue fuerit, ex illis generari nihil potest.

Generatio quando fiat.

Generatio perfectè non fit nisi quatuor humores, & prima quatuor elementa seu qualitates primæ æqualiter, (non tamen exquisitè) se habeāt. Quodsi alterū alteri valentius imbecilliusuè preualeat, nulla vnquam mixtio ac generatio fieri poterit.

rit, sed quãdam moderatã discrasiam in cõceptionibus adesse, in nostris cõmentarijs super Aphorismos Hippocratis demonstrauimus.

NAm quomodo fieri potest, vt aliquid ab vno fiat? cum neq; ex pluribus generetur, nisi cõmuni temperamẽto cõueniãt.

Eorum adhuc opinioni insistit, qua hominis decretum ex vno elemento commune dicebant. Initurq; eius ratio, cum à fine ad quem consequendum natura gignendo colimat, tum à præcipua actione, qua ortus constat, atq; ad spectatũ exitum perducitur naturæ opus. Ait igitur, quid fierit potest, vt aliquid ex vno fiat? quando neq; ex pluribus (elementis scilicet seu humoribus) gigni possit, nisi mutuo temperamento commixtis. Cum enim ex quo magis ac decentius fieri debeat generatio, non fit: neq; ex quo minus.

QVum igitur talis & hominis & cæterarũ rerum natura sit, hominem nõ ex uno fieri elemento: necesse est eum non ex una re cõstare, sed vnũ quodque eorum, quæ ad generationẽ quicq̃ faciunt, talem quampiam vim in corpore possidere, qualem contribuit.

Hactenus Philosophorũ & medicorũ errores demonstrauit Hippocrates, vt potè in generatione, & pfecta crasi, hoc est, temperie tũ animalium, tũ aliarũ rerũ ex plurib. eiusdẽ generis eiusdẽq; facultatis, et ex his bene p mixtis & temperatis. Nunc pfectam hãc ex pluribꝰ temperiẽ docet eamq; hominis, rerumq; pductarũ omnium verã naturã esse. & ex hac vt notissima contra eosdẽ concludit, non vnũ reuera elementũ materialiter hominẽ esse, sed plura, & ea quæuis eandem vim

vim ex mixtione semp̱ retinere, quam in corpore contribuerint. Sic enim duplicem hominis, atq; cunctorum viuentium naturam explicat: formalem vnam, quã temperiẽ nuncupat: alterã materialẽ quatuor videlicet prima simplicia corpora, ex q̃bus res omnes corporeæ generant̃, nutriunt̃, & ad debitã magnitudinẽ p̱ueniũt. siue ille res, siue corpora ad homines, siue ad quæcunq; alia referantur. Sũt autẽ multa quæ naturæ dictio singnificet, de quibus in nostris commentarijs super aphors .34. lib. 2 diximus.

Duplex omnium anamaliũ natura.

Rursus quãdo corpus humanũ interit, necessũ est singula ad suã naturã conuerti: vt potè humidũ ad humidũ, & q̊d siccũ est, ad siccũ, & frigidũ ad frigidum. huiusmodi autẽ tũ animantiũ tũ cæterarũ rerũ omniũ est natura. Nam cuncta simili modo nascuntur, & similiter desinunt. Ele-

Elementa inter se iuxta & temperata in corpore aliquo omnia vnum, & vnum omnia dicuntur. At vero dum corpus moritur, dissoluiturq́;, tunc elementa, quæ ipsum constituerant, ad suam naturam, seu loca propria comeant & reuertuntur. quandoquidem omnia in ea corrumpuntur, ex quibus fiunt. veluti Arist. 3. metaph. indicauit. Atq́; naturarum triplex genus lib. 2. de anima statuit. vnum forma est ac species: alterum materia, tertium quod ex his duobus commixtum est, eorum videlicet materia, vis seu potestas, species, vsus & perfectio. Sed Hippocrates duas potissimas causas agnouit, materiam scilicet & formam. Atq́; animantium naturam & temperiem & calorem insitum (qui est veluti forma aliorum elementorum miscibilium) indifferenter nominat. Cæterum omnia mixta & genita tam animantia, quam in animantia

Naturarũ triplex genus.

animantia, ex elementali & formali natura producta existunt. Nec aliter ex corruptione, elementalis & formalis naturæ, intereunt pereumque omnia. Ex formali quidem, cum forma ipsa seu temperies corrumpitur: ex elementali, quando elementa dissoluuntur â temperie, miscenturque mundi elementis.

COnstat enim ex his quæ dicta sunt eorum naturam (singula in idem supradicta ratione) terminari. Nam eodem recedũt, vnde sunt constituta.

Eadem est omnium ratio, quæ tũ gignuntur, tum intereunt. Ex prædictis igitur quatuor elementis, naturam, vtpote formalem (quæ temperies & commoderatio dicitur) ostendit. Hæc autẽ natura vt persistat ipsam

ſam quoq; materialem ſimul adeſſe eſt neceſſum. Neq; enim forma abſq; materia, neq; materia abſque forma, conſiſtere poteſt.

COrpus autem hominis ſanguinem, pituitam, ac bilem vtranque, continet. Atque hæc ſunt ipſius corporis natura: quibus tum ægrotat, tum ſanũ eſt.

Natura rerũ omnium unde constituatur.

Rerum omnium naturam elementalẽ ſcilicet & formalẽ, ex commemoratis quatuor elementis conſtitui, & in eadem finire, in præcedentibus oſtendit. Hic verô ad alterum, ſeſe transfert elementorum genus, quod eſt proprium animalium ſanguine præditorum. Etenim ſanguis, pituita flaua, & atra bilis (de quibus nunc ſermonem inſtituit) elementa dicuntur, non hominis tantum, ſed etiam reliquo-

reliquorum ſanguine poſſidentium. Ad hæc illa prima corpora, *ignis*, aër, aqua, terra: omnium naturalium rerum ſunt communia elementa. Humores verò præditis ſanguine (vt in principio diximus) propria. Ex quibus particulæ ſimilares dictæ, vt ſunt caro, os, neruus, cartilago, & huiusmodi conſtituuntur. Atq; illud humidum fluidum, in quod primũ elementum transmutatur, humor dicitur. *Humor quid.* Inſuper humorum alij naturales, qui confuſi in venis reconduntur, corporiq; alimoniam præbent. Alij non naturales & ſcrementitij, de quibus poſtea dicemus. Horũ omnium tam naturalium quam non naturalium quatuor ſunt genera, vt pote ſanguis, pituita, bilis, & melancholia. *Humorũ 4. genera.* Sanguis calidus eſt & humidus, ſapore dulcis, & colore ruber. In venis & arterijs contentus, ſed in his ſubtilior.

Hoc

Hoc humore quiſquis mediocriter abundat, is blandus, hilaris, venuſtus ac floridus eſſe ſolet. Pituita frigida eſt & humida, atq; ſaporis expers, quæ quidẽ venas cũ alijs ſimul humoribus mixta permeat, vt frigidæ & humidæ corporis partes ex ipſa nutriantur. atq; ſegnes, ſomnolentos, obeſos, & citò caneſcentes efficit. Bilis naturalis vna cum ſanguine ducitur, calida eſt & ſicca. & eo calidior quo palidior: flaua eſt colore ac pellucida, eſſentia tenuis, atq; ſuapte natura leuis, acris & mordax. Homines iracundos, ingenij celeres, macilentos, agiles, & facile concoquentes reddit. Illa etiam bilis, quæ in veſiculam fellis mittitur, licet excrementitia fuerit, eſt tamen vtilis, ob id naturalis dicitur. quæ quidem ſuperfluum à ſanguine ſecernit, & proprio ductu in inteſtina defluens deiectionem ſtimutat, detergitq; in illis pituitam, quæ alio-
qui

q̃ immodice aucta, valde noxia esset. Nec rarò euenit vt poro illo, q̃ à vesicula fellis ad intestina descendit, obstructo sequant̃, coli intestini dolores suapte natura maligni. Bilis igitur & quæ per venas permeat, et ea quæ ad vesiculã tendit, duplici colore affecto secernitur, flauo scilicet et palido. Flauus ex ꝓpria natura inest. ꝓpterea & flaua bilis ab innato colore nũcupat̃. Si vero contingat, vt tenuis et serosus humor ei admisceat̃, statim & colore palidior, & consistentia humidior fiet. Palidus nanq; color & bili quoq; naturaliter inest. Sed tanto flauã esse palida calidiorẽ, quanto & crassiorẽ. nam seroso recremento flauæ bili cõmixto, palidã cõstitui contingit: sicut & flauam pluscculũ ex calefactã, consistentia reddi crassã, colore autẽ flauam. quin & in animalib9 apparet flaua quidem ijs quæ magis sunt calida, quæ vero minus, palida. Harũ vtraq;

bilis in vitellinā degenerat, dū caloris nō naturalis acrimonia summè coquitur ac veluti torret̄, adassaturq́. vt inde ex flauo igneū calorem, & ex tenui substantia crassiorē consequatur. Sic & colore & crassitudine vitellorum ouorū speciē referens nomen sumpsisse dicitur. quæ generationē in iocinore, & vasis obtinet. Atra bilis naturalis, quæ melancholia seu melancholicus, humor etiā dicitur, frigida & sicca est potentia, per venas vna cū sanguine fert̄. Terestris q̄dem est, & colore nigra, sapore pontico, & ad motū inepta. Hanc sanguinea massa retinet, tanq̄ superfluū aliquid. Inde lien è iocinere illam abstrahit, ac p̄ nutrimento retinet. Subdolos, tristes, timidos, auaros, & perfidos, vt etiā in nostra medicę artis institutione dicemus reddit. Sub atra bile naturali excrementitius etiā succus, qui ventriculi actiones iuuat, compræhenditur. Cū

enim

enim acidus hic humor fuerit, ventrē in seipsum cōtrahit, et alimēta retinet comprimitq; , donec plene concoquant. Nūc quo pacto humores quatuor in homine, cæterisq; animantibus generent inquiramus. Itaq; alimentū dum in venis ab ingenito calore alteratur, si calor ille mediocris fuerit, inde sanguinem generari: reliquos vero humores ex eodē immoderato. Etenim cibi natura calidiores, magis sunt biliosi: frigidiores vero pituitosi. similiter ætate & temperamento homines, q calidiores sunt, eos biliosiores esse constat: frigidiores vero pituitæ magis sunt obnoxij. Iam vitę rationum, ætatum, & regionū, & temporum : omnia hæc si calida existant, dum maximè syncera bilis gignitur. Eodē modo de alijs sanguine scilicet, & atra bile, et pituita. q quidē humores, si constituentes causas omnes fau-

Humorū. 4. generatio.

 trices,

trices, et ſecundas habuerint, ſyncerus & purus vnusquiſque ipſorum ſuperabundabit. Præterea ex morbis, qui frigidi ſunt, ij à pituita: qui calidi, à bile ortum habent. & vt ſummatim dicam, ex nutrimento in venis & iecore exiſtente, & ex moderato, & immoderato animantis calore, ſucci omnes in animalibus ſanguinem habentibus conficiuntur. Supereſt vt de humoribus, qui à cauſis præter naturam gignuntur, etiam dicamus. qui quidem corpori nutriendo ſunt inutiles, raroque in eos, qui ſecundum naturam ſe habent, vertuntur. Humorũ igitur excrementitiorum quidam ſunt vtiles, & tunc naturalium nomẽ, vt ante dicebamus, retinent. Eiuſmodi ſunt bilis in hepatis veſicula; & melancholicus humor in liene, atque in articulis pituita. Et ij omnes propter multas commoditates, plurimaſque corporis actiones perficiendas inibi conti-

Humores qui à cauſis præter naturam gignuntur corpori alendo inutiles.

continentur ac recunduntur. Alij ex crementitij inutiles sunt, inutiliaq; prorsus & superflua naturalium succorũ excrementa, quæ quidem à corpore, vt noxia, quotidie expelluntur. Talia sunt sudores, vrinæ, deiectiones, & id genus. Nõ naturalis igitur sanguis (vt eodem ordine, quo de naturalibus, prosequamur) duplex est, vnus quidem, qui à debita, & conuenienti temperatura transmutatus est. quando scilicet ex se, & non propter aliud quippiã admixtũ alterat̃. veluti dũ præter naturã calefit, aut refrigeratur: nõ vsq; adeo tamen, vt in aliud humoris genus conuertatur. alter vero à sua natura, accedente aliquo vitioso humore. Pituita etiam non naturalis duplex est, acida vna, salsa altera. Acida summè quidem cruda dicit̃, vt que preter primã in ventriculo concoctionem vix illam, quæ fit in iocinere & venis incipit, atq; caloris penuria coa

Sanguis non naturalis duplex.

Pituita non naturalis duplex.

cescit. nõ secus q̃ in plerisque fructuũ succis contingere pcepimus, qui cum pauco prediti sunt natiuo calore, post q̃ in sese eferbuerint, breui tempore in illã acidã qualitatẽ degenerabũt. Fit etiã acida pituita, quando dulce acido, & acidũ dulci cõmiscet. vnde acida & dulcis p admixtionẽ nominat.

Aciditas unde fiat. Aciditas namq̃ â calore qdẽ mutante nõ qdẽ vincente nascit. quemadmodũ Galenus lib. 4. de simp. med. facul. indicauit, Etenim dũ calor concoquere incipit, nec pfecta fieri possit alteratio, tũc aciditas illa in alimẽtis alijsue assumptis, ingestisue gignitur.

Pituita salsa unde Salsa vero pituita ex naturali insipida putrescente orit, quando scilicet partes eius vi quadã putredinis adassatæ, reliquæ aquosæ substantiæ permiscentur. siqdem â calido sicco nõ admodũ subtili sed terrestri, salsus sapor enascitur. potest etiã ex serosæ humiditatis commixtione generari. Si enim te-

nuis

nuis pituitæ admiſceatur ſeroſa humi ditas, ſiccã habens naturã, & aduſtã, eam ſalſam efficiet. Cœterũ excremen titia pituita duplex dicĩt, altera vtilis, quæ naturalis pituitæ appellationem ſeruat, eſtq́ ipſius ſupfluitas, quæ q́ dem à venis excernĩt, & ad artus ac ſucturas illabitur, vt artus ipſos & particulas ſua humida qualitate ad motũ habiles conſeruet alioq calor ex motu illas exſiccaret. Altera inutilis et ſuperuacanea eſt, quæ extra vaſa re perĩt. Huius multæ ſunt ſpecies, vna qdẽ tenuis et aquoſa, qualis è naribus et cerebro defluit, & in plurimas cor poris partes effundĩt. Altera muco ſi milis eſt, quæ ſi in loca quædã corpo ris frigidiora decũbat, ſeu naturæ ap pulſu impellatur, ibidemq́ incluſa & compreſſa eo vſq́ maneat donec craſsior frigidiorq́ ſit redita, tunc vi trea à Praxagora dicitur, quod vitro

Pituita excrementitia duplex.

fuso colore & substantia sit similis. Hæc si calido loco obstruatur, grauissimos dolores solet excitare. Est & alia præter naturam pituita, quæ gypsea à multis nuncupatur. Hæc quidē crassa admodum est, quoniam tenuis eius portio iam est dissoluta, propterea quod in meatibus ac artubus longissimè detineatur. Hanc sæpe deprehendimus in pulmonibus et digitorū articulis, accepto ex distillatione principio, tandē in tophi et calculi duritiē conuertit. Quatuor igitur inutilis excrementitiæ pituitæ species adnumerant. aquosa, mucosa, vitrea, & gypsea, Bilis flaua præter naturā ex tota substantia frequenter æqualiterq; in venis & ventriculo generationē obtinet. qualis porracea, æruginosa, & cerulea. quarum generationem sæpius in ventriculo fieri autumant. idq; ex cibis crudis ac viridibus, vt sunt betæ, cæpæ, brassicæ, quæ
propter

propter languidum calorem corrum puntur; dum nequeunt in Chymum cōuerti, deuinciq; in ventriculo malè scilicet concoquente. vnde simul calorem magna ex parte retinent. Et primum ex illis fit porracea, quę si infixa diutius hæreat, in eruginosam commutabitur. Postea in eamquæ ceruleo colore tincta apparet, vnde cæruleam appellarunt. Hæc quidem minus viridis quam superiores apparet, sed tanto illis deterior, quanto proprius ad nigrum colorem accedit. Generantur etiam hæc tria bilis genera nonnunquam, non solum in venis & ventriculo, sed in iocinore etiam, vt Galenus lib. 10. de simpli. med. facult. docet. Vbi enim calida animalia aut fame aut siti premuntur, bilis tunc ad atrum colorem, vel ęrugineum vel ceruleum vergit, atq; porraceam bilem ratione ægrotationis, & talibus nequaquam ingestis, Galenus in 2. prædictionum

com.39.indicauit. Illa aũt bilis quam iſatidem nominãt, per morbos graues & ardentiſsimos in venis gigni dicitur. atq; vehementi caloris incendio bilem vitellinam ex aduſtione & generari, & in alia genera deriuari traditur. Bilis atra tum naturalis, quæ per venas permeat, tum excrementitia, quæ lieni naturaliter eſt deſtinata, æqualiter per aduſtionem & putredinem non naturales redduntur Hinc aduſtæ atræ bilis nomen eſt ſortita.

Bilis atra 4. species

Huius interea quatuor eſſe dicuntur ſpecies, prima, quæ ex caloris ardore, ad ſummã ſiccitatem perueniens, oritur: Calida admodum eſt acris & mordax, atq; eo diſcrimine à naturalibus diſsidens, quo fex aduſta à non aduſta. Altera ſpecies ex vitellina bili producitur. Exuſtione enim hęc primum in æruginoſam, poſtea in ceruleam, nouiſsimè in atram bilem omnium perniticiſsimam commigrat. Tertia

bilis adustæ species ex sanguinis com bustione oritur. Cum enim sanguis præter modum assatur, eius pars subtilior ac pinguior, in flauam omnino bilem conuertitur. quæ aũt crassior in atram. quod quidem in his humoribus, qui carbunculi nuncupantur, inspicere contingit, in quibus ex sanguine supra modum efferuescente, ad atræ bilis humorem fit transmutatio.

SAnũ equidẽ maximè est, vbi temperamentum hæc inter se habuerint, tũ facultate, tum copia moderatum: & vbi maximè fuerint permixta.

Elementorũ cõmoderatio vt medici ac philosophi testãtur, sanitatem efficit. Hanc corrumpũt humorũ superabundantia, & mala qualitas, atq; immodica refrigeratio æstus itẽ laxitudo cruditas, temulentia, ira, furor, et consimilia *Elementorum commoderatio quid efficiat.*

similia, sicuti Galenus lib. de const. artis med. indicauit. Porrò sanitas synmetria quędam est. Synmetria autem omnis duplici ratione dicitur, aut enim veluti summa & perfecta, aut tanquam à perfectione hac deficiens paululum, quemadmodum Galenus lib. 1. sani. tuen. enũciauit. Interea duas animalium sanguine prędito rũ naturas in praecedentibus ostensum fuit. elementalem seu materialem vnam, quam quatuor humores, sanguinem, pituitam, et vtramq; bilem esse ostendimus. alteram essentialem, animalis formam nuncupatam, quę sub nomine primarum facultatem, sanitatis in quam, & ægritudinis comprehenditur. Vbi igitur humores sunt inuicem & indebita tum quantitate, tum qualitate temperati, sanitatem in similarium partiũ vnione & temperie, nec non in dissimilarium constitutione semper efficient. Vnaquęq; enim animantis

Symetria omnis duplici ratione dicitur.

mantis particula, seu certa quadam determinata quantitate et qualitate consistit, qua vltro citroq́ nequit naturalis & recta persistere. Ad perfectam quoq́ sanitatem requiruntur ex proportione humorũ permixtorum qualitas & quantitas, quare addidit, (Et vbi maxima fuernit permixta) tunc completa prorsus sanitas conficitur, in similaribus primo & simplicibus partibus, mox in organicis & compositis. Et cum sint tria prima sanitatis genera, duo quidem in partibus similarib9, bona scilicet vnitas, et temperies: tertium in organicis, bona inquam ipsorum organorũ compositio. Sic tria prima morborum genera erũt, vtpotè cum immediatè hæc contraria sint, & cõtrariorũ eadẽ sit ratio. vnde Auerrhoes li. 3. cole. Numerus, inquit, specierũ ægritudinis est: sicut numerus specierum sanitatis. Et à cognitione sanitatis, cognoscitur ægritudo,

Ad perfectam sanitatem quæ requirantur.

Morborũ tria prima genera

tudo, quamuis notiores sint species ægritudinum speciebus sanitatis. Propterea quod multæ ægritudines habent nomina, et sanitates illis sine nomine opponantur.

DOlet autem cum horum aliquod minus aut amplius euaserit, aut separatum in corpore, et non contemperatum fuerit reliquis omnibus.

Quæ ad integram sanitatem constituendam requirebantur proximè docuit Hippocrates. Nũc oppositum in ægritudine docet. Nam cum ægritudo sanitatis sit demolitio ac euersio, ad eam efficiendam vnũ tantum sufficiet, vnum itaq; satis erit, ad morbum constituẽdum. Propterea disiunctim morbificas hic internas causas subscribit. Ægritudinem inquit, efficient per se causæ morbificæ, siue innaturalis fuerit quantitas, seu qualitas, vel iniu-

Ægritudinem quid efficiat.

sta pro-

sta proportio, aut mixtura indecens: Eodem quoq; modo omnes simul preter naturā iunctę. Ait igitur Hippocrates, ex immoderata humorum copia, secūdum magis aut minus corporis compositionem corrumpi: & vnitatem (quę in conuenienti suarum partium commixtione nititur) solui. Vnde & malæ compositionis & vnitatis solutæ morbi (dummodo actio sensibiliter offendatur) proueniunt. Similiter humorum qualitates, dum inæquales fuerint & functionem manifestè lædant, insalubrem morbosamq; inducent temperiem. Sic indebita ipsorum mutua proportio, modo intemperiem, modo continui solutionem, modo malam constitutionem, & persæpe hos omnes simul efficient, iuxta ipsius proportionis inæqualitatem. Præterea si ex indecenti permixtione functio lædatur, tunc & insalubris erit ipsa

erit

erit ipſa temperies. veluti dum humorum debita quantitas & copia fit: & partes inter ſe male coniungātur, aut coniunctæ ſoluantur & ſeparentur: ita vt actio impediatur, tunc vnitatis ſolutionem, & malam corporis conſtitutionem fieri cõtinget. Idcirco aut ſeparari in corpore & non reliquis contemperamentum eſſe dixit. Quomodo aũt morbos adeſſe cognoſcere liceat, in primo lib. de morbis curandis indicauimus.

NEceſſe eſt enim, cum aliquid horũ receſſerit, & per ſe conſtiterit, non eum duntaxat è quo exceſſerit locum affici, ſed grauari etiam illum in quem decubuerit, ut cui ex copia dolor ac moleſtia accedunt.

Cũ aliquid à maſſa ſanguinis, quantitate, qualitate, cõmixtione atq; temperamento

peramento recesserit, & per se aliqua in particula constiterit, corpus dolore affici, hæc sententia docet. Per massam sanguinariam quatuor humorũ vnionem & collectionem intelligo, vnde si quis eorum vel immodicè auctus, sicuti in tumore quodam præter naturam, vel acrimonia seu alia quauis ratione separatur, et in aliũ quendam locum influat, morbus in parte ex qua mouetur, & in quam defluit excitabitur. Multitudo nanq; humoris in partẽ recepti continui, solutionem distentione efficit; qualitas eiusdem siue calor siue frigiditas (quæ duo sunt causa doloris) fuerit, alterationem subitam. Huc pertinent syncere deiectiones, quod maximè ostendunt disenteriæ, præsertim quæ à bile alterutra fiunt, vel etiam à pituita salsa & vitrea. Quæ aũt à sanguine est hepatico, absq; dolore vt Galenus docet, percipitur, aggrauat tamen partes Gal. 12. meth. & 4. simpl.



in quas & per quas fertur. Immoderate igitur & præter modum imminuta humorum quantitas & qualitas atque eorũ separatione ac indecenti mixtura morbum gigni, tum ex rei natura, tum experientia ostendit. quoniam vtraque parte, & vnde decessit, & ad quam se contulit, in intemperiem & vnitatis solutionem incurrunt. Ex defectu quidem, hoc aliquid fertur decessisse, propter diminutam quantitatem, & qualitatem. Cum enim determinata quantitas & qualitas humorum præter naturam diminutæ fuerint, tunc partes ipsæ malæ vniuntur inter se, neque æquali constant temperamento. hinc dolor morbificus exoritur. Quòd autem vtraque pars, & vnde recessit humor, & ad quam se transtulit, morbo doloreque afficiatur, experientia medicamentorum immodicè vacuantiũ (vt statim dicet) ostendit. Nam si euacuatio humorem aliquem

quem extra corpus amplius quam redundet eijciat, ex diminuta humorum quantitate & qualitate, in parte illa sequetur morbus, quia ibi statim intemperies, & vnitatis solutio (quæ primæ ac simplices ægritudines sunt nuncupatæ) exoriuntur. Atque immi nuta naturali quantitate illico naturalis qualitas imminuitur: intemperie illa & vnitatis solutionis causa existente.

ITidem cum aliquid horum, supra quam requirat redundantiæ modus, extra corpus effluxerit, grauis ac noxia est uacuatio. quæ si intra corpus ceu translatio secretioque ab alijs fiat, duplicis mali occasio (ut iam dictum est) ex eo necessario dabitur. nempe & unde secessit, & ubi receptum redundat.

Qando etiam ad extra plus quam naturæ conueniat humorum fit euacuatio, morbos simplices primos, atq; eorum proprium symptoma, vtpote dolorem infert. Si verò ad intra talem humorum secretionem, & eruptionem fieri contigerit, tunc duplo maiorem morbum sequi est necesse. Idq; propter imminutionem à quo se cessit, & redundantiam, vbi se recipit: quo fit vt ab excessu & defectu vnitas et intemperies offendantur. Cæterum humores nonnunquam intro vacuantur, veluti in humorum ê cerebro defluctionibus in fauces, gargareon, pulmones, ventriculum, & reliquas partes subiectas. Similiter in omnibus præter naturam tumoribus, præsertim internis; in omni item arthritide. Nonnunquam foras & extra corpus, vt in hemorrhagijs, cholera morbo, dysenterijs, fluxu muliebri, gonorrhæa & alijs tam per superiora quam

Morbus quãdo fiat duplo maior.

inferiora

inferiora excretionibus. Humores etiam interdum et vapores locum tantum mutant. vt sanguis cum spiritu & calore, dum adest mœror, timor, verecundia sicuti somni, et vigiliarum initio, atque dum ipsi humores impetu quodam concitantur.

EGo verò sanguinem, pituitam, bilem tum flauam, tum nigram (quatuor humores) assero. Ac primum vtique usu loquendi distincta, illis nomina obtigerũt. Deinde natura singulorum species discreuit: vt neque pituita sanguinem referat, neque bilem sanguis, neque bilis pituitæ similis esse cõspiciatur. Quomodo enim hæc similia essent? quorũ neque colores similes videntibus apparẽt, neque ad manuũ tactũ similitudo aliqua esse depræhenditur. Neque

preterea similiter calida, frigida, humida, sicca existunt. Quando igitur tantopere specie & viribus inter se discrepent, illos esse vnũ fieri non potest, siquidem ignis, & aqua non idem sunt.

Ad ea quæ hic proponit se suis verbis astrinxerat Hippocrates. Dixerat enim se ostensurum ex quibus homo constaret, quod quidem statim fecisset, nisi in refellendis eorum opinionibus institisset, qui hominis generationem ab vno principio tantum fieri proferebãt. Nũc igitur humores quatuor, sanguis, pituita, bilis flaua, & bilis atra, essentia & qualitate differentes docet, & vnumquenq; distinctum iuxta receptam opinionem esse profitetur. Sed vltra hanc communem hominum sententiam pluribus rationibus id suadet. Primum itaq; hos quatuor humores, nomine, colore, formatione

tione, caliditate, frigiditate, & humiditate mutuo differre, mox in sanguineis animalibus reperiri, in venis inquàm & arterijs dicet. Nec enim alibi in sana & temperata corporis constitutione humores inueniuntur. Horum siquidem venæ causa sunt à natura constructæ quemadmodum Aristoteles lib. 3. de part. animalium indicauit. Cæterum vniuersa sanguinis moles, quæ per venas fertur, quatuor distinctis ac varijs partibus insignita conspicitur, q̄a hisce diuersis partibus est conflata. Pars enim illa, quæ rubra, mediocrisq; substantia, ac moderatè calida in ea inspicitur, sanguinem ostendit, qui copia in corporis temperata habitudine cæteris humoribus pręstat. Pars verò altera, quæ tenuis, flaua, et admodum calida depræhenditur, bilē prę se fert. Quę aūt cruda, liquida, et alba, pituitā: Crassa verò nigra, et facultate frigida, bilē atrā. *Vniuersa sanguinis moles 4. distinctis partibus insignita.*

Hæc quidem sunt prima & simplicissima corpora, in quibus elementa, ignis, aër, aqua, terra, primo transmutantur, cũ ab animati corporis mixtionem, à superioribus constellationibus ordinantur. Adhęc cũ bilis vtraq; sicca dicatur, id non quidem actu, sed facultate intelligendum. Actu quidem diximus, quod iam præsens est: Potestate, quod iam futurum. Verum equidem sanguis actu & potentia talis semper est, qualis describitur: & multoties pituita, præsertim vitrea. Bilem præterea flauam esse potestate calidam & siccam, hinc facile colligitur, quod vbi plurima in ventriculo continetur, perpetuo siti infestamur. Sic & atrabilis, cum in ventriculi orificio abundat, appetentiam excitat. Neq; vnũ, illos quatuor humores inquit, esse possunt. vt qui specie & facultate maximè dissideãt. Sic enim ignis & aqua vnum & idem

Quid actu et quid potestate dicatur.

minimè

minimé esse possunt, cũ sint contraria. Eodem modo de bile & pituita: aëre & terra, sanguine & bile atra : quæ omnia duabus cõtrariis qualitatibus pugnãt, quare nõ possunt esse vnum.

QVod autem hæc omnia vnum non sint, sed vnũ quodq; ipsorum vim & naturã suam habeat, vel hinc cognoscere licebit, quod oblato cuipiam medicamento, cui ex purgandi pituitam facultas insit, educetur illa. propinato cholagogo, reiicietur bilis. Similiter si medicamentum, quod atræ bilis educendæ vim habeat, exhibeatur, hanc eliciet: Quodsi corporis partem sauciaueris, vt vulnus fiat, ex ea sanguis profluet, idq; fieri conspicias nullo non tempore,

nocte dieque, tam hyeme quam æstate, quandiu inspirare, expirareque valeat homo. Ac valebit quidem, donec aliquo ex his, quæ cogenita illi sunt, destituatur.

Ex hominum opinione, & rerum veritate quatuor humores, sanguinem, pituitam, & vtranq; bilem in essentia dissimiles diuersosq; superiore sermone indicauit. Nunc verò idipsum & à signo, & ab effectu commonstrat, atq; ipsos humores, semper in animantiū corporibus inesse ostendit. quandoquidem nec vllum anni tempus, nec ætas aliqua reperitur, vnde liceat demonstrare hominē humorum istorum expertem esse: vt qui naturaliter hos omnes continuo possideat, suntq;, ipsius hominis cognata ac congenita, atq; idipsum maxime à signo ipsæ purgationes ostendunt: &

quod

quod diuersi ac differentes sint, & q̃d simul permixti in corporibus sangui- ne præditis reperiantur. Nam si medi camentũ, inquit, alicui ꝓpines quod bilem vel pituitam natũ sit euacuare, hunc vel illum omni tempore educet. Id enim ꝑpetuo quatuor hosce humo mores substantia diuisos in corpore contineri est signũ. Quod si quis bilio so homini medicinam daret, quæ ap- ta sit ad pituitam deijciendã, dolores ac tormina excitabit. Et sic de alijs omnibus imperitia & errore exhibi- tis medicaminibus. Si talia enim pur- gentur qualia oportet confert et facile ferunt, si contra, difficulter. Sic in ve- næ sectione, balneis, frictionibus, at- ꝗ alijs eiusmodi, vbi non conuenit, deteriores reddunt affectiones. Enim vero plurimis, qui satis fuerunt ex- tenuati, non parum profuit noxij humoris euacuatio. quibus sangui- nem si quis emisisset eos in vitæ

Aphoris. 25. lib. 1. aphors.

discrimen

Gal. 9. meth. & primo de præs. ex puls.

discrimen egisset. Vitam medici appellant vires & facultates temperamenti, aut earum actiones. Essentia autem virium & facultatum, in istorum primorum corporum commoda temperie sita est. Quod si vnus aliquis ex quatuor humoribus, qui ad constitutionem virium, & actionum concurrunt prorsus auferetur, vitam amplius persistere non posset. Si præterea corporis aliquam particulam, inquit, sauciaueris, vt vulnus fiat, sanguinem effluentem omni tempore licebit intueri. Profluit equidem sanguis è venis vel arterijs, aut reserato earum ore, aut tunica earum diuisa, aut transcolatus siue sudoris instar transfusus. vt Galenus lib. primo meth: med. scriptũ reliquit. Et quamuis omnium humorum vacuationes, in omni parte anni, & ætate fieri possint, quandiu scilicet animal respirat, & donec priuetur destituaturq́ue ali-

quo

quo humorum quatuor ipsi animali connatorum, tamen sanguis vere, & in adolescentia; bilis in Æstate, & in iuuentute; bilis atra Autumno, & in ætate declinante: pituita Hyeme, & in senectute, copiosius & facilius vacuatur.

Humores quando facilius et copiosius uacuentur.

SVnt congenita hæc, quæ diximus. Quomodo enim non essent? Primum enim manifestum est, hominẽ in se hæc omnia semper habere, quandiu uixerit. Deinde fit generatio ex homine hec omnia obtinente. Postremo nutrimentum ex homine haurit cui hæc insunt omnia, quæ ego in præsentiarum affirmatione contendo.

Quatuor humores in substantia permixtos & congenitos, sed dissimiles in

les in animato corpore perpetuo reperire in his quæ pręcesserunt docuit Hippocrates. Nunc vero propter quid & simpliciter à rei essentia illud idem comprobat. Hinc congenita seu vt alij loquuntur, connata humores quatuor ex quibns homo fit, & in vtero nutritur. Etenim quæ semper à primo origine vsq; ad extremum vitæ terminum æque in animalibus reperiuntur, omnia connata & simul genita merito dicuntur. Cum igitur æque semper in cunctorum animaliũ productione, auctione, nutritione, necessario ij quatuor humores requirantur reperianturq; necesse est, etiam eos omnes in animatorum singulorum generatione, austione, & nutritione connatos simulq; genitos esse. vnde & conceptum omnem ac fœtum ex his diuersis quatuor humoribus formatum, semper & con-

structum

ſtructum exiſtere , atquæ per omnem vitam hos quatuor humores perpetuo ſeruare , quandiu vnum quodque viuit. Simpliciter igitur & propter quid quatuor in eſſentia diſſimiles humores omnium in animantium vita & formatione cognatos, cõgenitoſq;, vt dixi, Hippocrates demonſtrauit. Hoc enim homines vniuerſi dum viuunt, circumferunt intra ſe. lac etiam quo recens nati alimur, ex illis ipſis eſt, qui ad mammas ideo per venas ipſis & vtero communes, tranſmittuntur. & ibi aliam ſpeciem aliamq; naturam, & formam acquirunt, vertunturq; in ſubſtantiam alimenti.

QVicunquæ porro hominem vnum eſſe dicunt, in eam opinionem adducti videntur, quod ſublatos immodicis purgatio-

purgationibus, per assumpta medicamenta conspicati, alios bile reiecta, alios pituita interijsse obseruando comperierunt: & quo quisque redito humore occubuisset, eò constare hominis corpus creditum est. Haud dissimili ratione ducti sunt qui sanguinem fecerunt vnicam hominis materiam. nam conspicientes in hominibus qui iugulantur sanguinis è corpore defluxum, hunc, animã fuisse sunt persuasi. Itaque hęc ferè sunt argumenta, quibus innituntur.

Ex apparentibus euidentibusque argumentum ab ipsis desumebatur. ex eò scilicet, quod in nimijs purgationibus quamplurimos alio atque alio prorsus euacuato humore, vitam profudisse

fudisse inspexissent. Sic enim propo- nebant: Id omne, à cuius ablatione animal statim aufertur, propria est & innata natura cuiusque, sed ablatio- ne vniuscuiusque humoris, ablatio animalis statim insequitur: Ergo hu- mor ille quisquis fuerit, est animalis cuiusque propria & innata natura. Et hæc istorum est ratio, ad quam subin- Hippocrates ita respondet.

Argumentũ quo ueteres tum philosophi tum medici hominẽ unũ dicebant.

AT uerò qui per immodicas purgationes, solam bilem re iecerunt mortuus est nemo. Sed cum medicamentũ aliquis bilem educens potauerit, ante alios hu- mores bilem, mox pituitam: De- inde præter bilem flauam, etiam atram eliciet. Postremo autem uitam finientes purũ quoque san- guinem.

Eorum argumentationem improbat Hippocrates, quam de superfluis purgationibus (in quibus animam expirare contigit) asserebant. Non enim humor solus educitur, sed quatuor omnes semper ordine effunduntur. nihilominus vno prorsus euacuato humore viuere hominem ac persistere non est posibile. Attamen non statim suffocabitur: sed si omnes simul eijciantur illicò decidit homo. Falsum itaq; illi assumebant, dum per immodicas euacuationes vnum duntaxat humorem educi contendebant. vnde nec conclusio vera potuit esse, qua vno & simplici humore hominem constare voluerunt. Cæterum vacuationes immoderatę contingũt, vbi purgans medicamentum usque adeò inualuit, vt in vasorum ad ventrem pertinentium osculis, mordicationem apertionemq; multam relinquat, asiduè irritans, cõuellensq; cor-pora

Vacuationes immoderatæ quãdo contingant.

pora, diſſoluens deijciensq́ virium facultates. quemadmodũ Galenus lib. 3. de ſimpl. med. facul. indicauit. Quãobrem prudenter ac cum iudicio medicamenta euacuantia exhibeantur. Nã ſemel aſſumpta pharmaca quod fuerit ſibipſis peculiare educent.

IDem accidit, & à medicamentis pituitam educentibus. Primum enim pituitam uomunt, Deinde bilem flauam, poſtea atram, poſtremo ſanguinem purum, poſt quem moriuntur.

Vbi medicamentum purgans pituitã educerit, ſubinde ſequetur bilis flaua, à colore flauo ſic dicta, vt quæ calidiſsima, tenuiſsima, & proinde admotum promptiſsima fuerit. Ob id præter alios humores facillimè edu-

citur. Postea verò bilis atra, quæ grauis est & crassa, & perinde admouendum contumax, vnde non nisi violentia trahitur. Deinde omnium postremus sanguis, vt qui familiarissimus naturæ sit, in eoq; natura maximè conseruetur. quo prorsus effuso animatum corpus moritur. cum nulla amplius vis à natura insit. Causæ præterea, quamobrem humores à purgante medicamento alicui sic excernantur, sunt vasorũ imbecillitas: osculorum laxitas: & medicamentis purgantis mordicatio. Cum enim vasa non amplius in sese continere ipsos humores queant, & oscula eorum reclusa fuerint, nec vis medicamenti desinat irritare, neq; amplius accedat familiaris succus, quo natura constare queat: necesse omnino est reliquos etiam, quo dictum fuit ordine, excerni deijciq;.

Etenim

ETenim ut medicamentum receptum in corpore fuerit, primum illud educet, quod ipsi in eo fuerit familiare ac tum deinceps alia trahit educitq́; quemadmodum ex terra naſcentia ſemina ſcilicet, & plantæ: ubi terræ mandata fuerint, unũquodq́; trahit quod intra terram inuenerit naturæ ſuæ conueniens. Ineſt autem in terra acidum & amarum & dulce & ſalſum, ac uariè temperatum ſuccum. Ac primum quidem plurimum eius quod cuiq́; familiare eſſe contigerit, trahitur. deinde alia: Itidem intro aſſumpta medicamenta faciunt. Nam quę bilem educendi facultatem habent, primum eam purgant quam mera-

cissimam, mox alijs mixtam. Similiter pituitæ pharmaca, primum sinceram pituitam educunt. Deinceps & confusam alijs. Sed & sanguis ab ijs, qui iugulantur principio calidissimus ac rubeus fluit. Tandem pituitam ac bilem mixtam habet.

Quatuor facultatū actiones.

Facultates in vniuersum tres numero corporibus insunt, vtpote animalis, vitalis, & naturalis. Atq; hæc in attractricem, retentricem, alteratricē & expultricem distinguitur. et harū quælibet omnibus ac singulis partibus est prædita. Nā in animalibus alimenti succum facultas attratrix allicit. qui postea retinetur ac comprimitur à retentrice. Tandem in alteram formam mutatur ab alteratrice, vnde succos alterari dicimns. tū demum expultrix facultas superfluum expellit.

Eadem

Eadem eſt ratio in vegetantibus. Attractoria igitũ facultas familiarẽ ſemꝑ ac ſibi conueniens attrahit alimentũ. Idque per qualitatis conuenientiam, & familiaritatem, & in purgantibus medicamentis, necnõ naturalibus vegetantium particulis. Sic & in animato corpore pars quælibet propriũ ac familiarem ſanguinem allicit vt nutriatur: Similiter ſtirpiũ plantarumq́ȝ ſingulæ particulę proprium ac determinatum terræ ſuccum attrahunt, vt commode inde alantur. Sed in vniuerſum de ipſis facultatibus in eo opere dicemus, vbi ſumma quadam diſcendæ artis medicæ viam demonſtrabimus. Aſſumpta igitur medicamenta inquit, primum humores trahunt ſibi familiares, deinde etiam alios. his quidem verbis æqualiter & nutritionem et per pharmacum euacuationem per ſympatiam qualitatis indicat: [illegible] enim ambobus huiuſmodi attrahẽdi

virtus à natura ineſt, ſicuti Galenus lib. ſecundo de elementis indicauit. Eadem eſt ratio in plantis & ſeminibus, quæ dum terram ſubeunt, trahit vnumquodq; terræ quod in eſt ſuæ naturæ conſentaneum, aut dulce aut acidum, ſalſum, amarum. Hæc ſiquidem in corporum humoribus etiam reperiuntur, quemadmodum ſimplicium medicamentorum facultas clariſsimè oſtendit. vtpote herbarum et arborum folia, flores, ſemina, fructus, radices, ſucci, liquores, gummi, cortices & ligna. quæ ſingula varijs ac diuerſis à natura, & pro ratione loci ſaporibus prædita ſunt, & ex ijſdē perpetuo aluntur. Quod ſi interea cognatus non ſit humor aut æquo vberior pauciorue, non viuet planta, aut ęgrotabit exiccabiturue. Sed & ſanguis cum animalia iugulantur primo fluit feruentiſsimus, & per quē ruber mox

magis

magis pituitosus postremo atrabilarius, sic non vnum in superfluis ac immodicis purgationibus euacuari humorem cognoscitur.

AVgescit pituita hyeme. Huic enim præ cæteris quæ homini insunt maxima est cum Hyeme naturæ affinitas: quippe quę maxime est frigida. documento fuerit explorare hanc tactu, qui volet, & cum cæteris, bile inquã ac sanguine conferre. Hinc pituita frigidissima reperiet. Verum cum sit visci in morem lenta, vt post atram bilem non nisi vi maxima attracta educatur, merito ex violentia, ritu aliorum, calescere debuerat, ipsa nihilominus cognatam vsq; frigiditatem re-

 tinet

tinet ac frigida apparet. Quod autem Hyems corpus pituita repleat, inde cognoscere datur, q̊d hoc præsertim anni tempore homines spuunt & emungendo plurimam reddunt. albis insuper ac mollibus humoribus scatent. atq; alios quos pituita parit morbos, præcipue corrumpi solent.

Pituitæ causa efficiens. Frigiditas seu imbecillus calor, pituitæ causa est efficiens. materia vero humiditatis crudæ abundantia: ex cibo, potu, aliisq; refrigerantibus, & humectantibus, tum per se, tum per accidens. Vinum tametsi ex secundo sit ordine calefacientium, tamen vbi largius quam natura velit assumitur, tantum abest à calefactione, vt morbos etiam frigidos procreet. sicuti Galenus liber. 3. temperamentorum indicauit.

Vini facultas.

cauit. Hyemis igitur tempore pi-tuita abundat, quia in vtrisque qua-litatibus, vtpote frigiditate & humi-ditate, cum Hyeme conuenientiam habet maximam. vnde facile fit, au-getur, & perficitur. Atquæ æta-tem, regionem, temperamentum, vi-ctus rationem, & alia huiusmodi quę exquisitissimam & absolutissimam continent pituitã, subintelligit Hip-pocrates. In senili ac decrepita siqui-dem ętate, regione frigida et humida, temperamento ac victus pariter ra-ratione frigidis & humidis, pituitam vigere & abundantem esse constat. Quod autem frigidissima ipsa pituita fuerit, sensu tactus asserit perdiscen-dum. Si pituitam inquit (sed præser-tim vitream) sanguinem ac bilem te-tigeris, senties pituitam esse frigidissi-mã. At si, vt frequenter euenit, calida sentiat, idq; p accidens, ob motus ve-hemẽtiã euenire dubiũ nõ est. Nã cũ lenta

Sensu ta-ctus pitui-tam frigi-dissimam esse perci-pitur.

lenta & viſcida exiſtat difficulterque trahatur, tunc caleſit, & calida tangentibus apparet. Nam quæ per vim et motus violentiam educuntur, feruentiora fiunt. Frigidiſsima itaq; ex ſua ipſius natura pituita apparet: q̄d ſtatim à ſigno & effectibus oſtendit. Spuunt homines & emungunt hyeme, plurima pituitoſa, & tumores albi laxi, hoc potiſsimum anni tempore exuperant: aliiq; à pituita morbi diuturni & curatu difficiles.

VEre etiamnum valida eſt pituita, & ſanguis augetur, nam & frigora remiſsiora vigent, & imbres ſuccedunt. qua ratione ſanguis augeſcit conueniente potiſsimum ea parte anni quæ calida eſt & humida. Signa autem hinc colligere licet, quod homines vere & æſtate dyſenteriis,

rijs, sanguinis è naribus profluuio corripiũtur. suntq; homines ipsi tunc calidissimi, & maximè rubicundi.

Propter cognationem, et conuenientiam, qua cum Hyemis fine veris initiũ habet, validam adhuc vere ineunte pituitam dixit. postea addit sanguinem iuxta hæc augescere à pluuijs videlicet, & caloris incremento. Hæc quidem anni pars, vt quæ calida & humida sit, maxime secundum naturam ipsi humori conueniens est. A simili etiam, vt in his quæ præcesserunt, & conuenienti, sanguinem vere adolescere ratiocinatur. Ver namq; calidum est & humidum. Cuius natura sanguini est accommoda ac persimilis. quando & ipse calidus & humidus reperitur. Similium quippe in simile facilis est transitus, & à simili

Pituita cur adhuc uere sit ualida.

vnum.

vnumquodque nutritur, fouetur, & incrementum suscipit. Hac igitur tempestate calida & humida, ob naturæ cognationem calidi & humidi sanguinis plurimum generabitur, si aliæ similes adhuc efficientes causæ, vtpote regio, etas, temperamentum, victus, & exercitia consenserint, tum ab effectibus & signis vera quæ proposuit esse indicat. Homines inquit Veris & ęstatis temporibus cruentis potissimum torminibus corripiuntur. Cum videlicet in venis multa sanguinis copia adfuerit, quæ quidem statim deinde per intestina expellitur. sicuti in mulieribus per uterum: In alijs vero per nares hemorrhoidas, aut vomitionem. Nam per omnes has regiones consueuit natura sanguinis superabundantiam excernere. Adiunxit æstatem Veri, tum ratione dysenterię quę

ex

ex copioso & calefacto sanguine, vt dximus, excitatur, tum ob cutis ruborem. Nam beneficio suiipsius caloris, generatur vere sanguis, & rubicundam totius corporis cutem efficit. Praeterea calidi ad tact um hunc apparent homines, tum sanguinis tum etiam ambientis aëris beneficio. veluti etiam Galenus in com. docet. Similiter & maxime rubicundi. Nā genitus sanguis ex suo colore, rubentem etiam colorem vniuerso homini impartitur. Color enim similis efflorescit humoribus contentis sicuti in nostris super Hippocratis Aphorismos comentarijs, etiam diximus. Apobris. 2. lib. 1.

PER æstatem sanguis adhuc viget, & bilis in corpore gliscit vsquæ ad Autumnum. Quo tempore sanguis quidem paucus generatur: contrarius enim

ipsius

ipsius naturæ autumnus est. Bilis vero æstate & autumno, corpus obtinet. indicio est , quod tunc sponte sua bilem plerique vomunt, atque epoto medicamento plurimam excernunt. Comprobant & febres, quique per ea tempora hominũ calor esse cõsueuit.

Æstatis tempore, & præsertim per eius initia, plerisque sanguis abundat vere adauctus. non enim à calore aëris nos ambientis ad huc est digestus, nec innata humiditas cõsumpta. Bilis inquit æstate corpus obsedit, præsertim si reliquæ etiam calidæ & siccæ causę omnes adfuerint, vt pote regio, ætas, temperies victus, exercitium & alia eiusmodi. Hæ quidem omnes simul iunctæ, exactissimam generabunt bilem. Quod autem bilis ipsa Autumnali tempore corpus detineat,

hoc

hoc circa eius initium præcipuè, eò quod æstatis postremam partem redoleat, intelligimus. Ex signo etiam ratiocinatur. Homines inquit estatis tempore bilem sponte vomunt, idq; propter exuperantiam ipsius. Item per medicamenta purgantia biliosa deijciuntur. Præterea febres biliosæ, quibus eo tempore homines corripiuntur. Adsunt etiam flaui colores, cuti superflciariæ inhærentes. Hæc biliosi humoris sunt inditia.

NVnc; alias pituita est imbecillior. Nam huic æstatis natura inimica est, vt quæ calida est & sicca.

Æstate ac tempore calido & sicco pituita plurimum assumitur, partim caloris interni vi discussa, qui tunc acris, atq; ingens esse consueuit; par-

tim ab externo aëre calido pariter & sicco dissipata. perficit enim adaugetque natura conueniens, oppositum autem diminuit ac corrumpit.

Natura conueniens perficit, & oppositum diminuit.

AVtumno sanguis paucissimus gignitur. Nam preterquam quod sicca est Autumni natura, per ipsum insuper homines refrigerari incipiunt. Ac tunc bilis atra plurima est, & eadem valentissima.

Quibus ætas floret, per æstatem sanguis aduritur. In ætate vero declinante, & Autumno iam vstus est, & bona sui parte in atram bilem abijt. Verum equidem portio tenuior, in bilem flauam, & illa magis adusta in bilem vitellinam transit: quæ in melancholiã conuersa ipsam multo acriorem efficit quam quæ ex parte san-

ſanguinis craſſa conficitur. Eſt autem hæc melancholia calci coctæ & feci uſtæ ſimilis, in qua ignis extinctus eſt. vel ſic ſopitus vt primo occurſu non appareat. in actum autem eductus vrat. Cum alioqui lapis, fex non vſta, humor melancholicus, abſolutè frigida ſint. quemadmodum teſtantur qui in arte medices ſcriptum aliquid poſteritati reliquerũt. Autumno igitur ſanguinem imminui oſtendit Hippocrates. quia ſanguinis naturæ autumnus contrarius reperitur. & atra bilis Autumno plurima eſt, maximeq́ exuperat. Idq́ propter eius adaugentes & perficientes cauſas. Frigiditas nanq́ & ſiccitas (quæ bilis atræ ſunt cauſa efficaſſima) potiſſimum ea tempeſtate viget. Frigidus q̃dẽ autumnus eſt, ob Hyemen nõ valde illi remotã: ſiccus verò ex derelicta æſtatis ariditate. Atque homines tunc temporis refrigerare

incipiunt. idq; propter sanguinis imminutionem ex humoris frigidi prædominio. Siquidem vt similia à similibus conseruantur & incrementa suscipiunt, ac perficiuntur: Ita contrarium euenit in dissimilibus.

CVm vero Hyems ingruit, bilis frigore pressa decrescit, & pituita rursus augescit, tum ob frequentes imbres, tum noctium longitudinem.

Hyems quando incipiat. Hyems iuxta medicos sub Vergiliarum incipit occasu. qui paulo ante calendas nouemb. accidere dicitur. quo tempore frequentes fere sunt pluuiæ. Atq; ex frigoris ac pluuiarum incrementis pituitæ accessionem fieri, dubium non est. Noctium longitudinem commemorat. quæ fit propter longam solis sub terra morã. Propter

ter quam frigus nobis adest. siquidem caloris nos ambientis author est sol. dum supra verticem nostrum progreditur, & diem longiorem efficit. Hyeme quidem obliquus est, & breui supra terram fertur, vnde frigiditatis fit accessus. Cæterum humorem in singulis anni partibus prepollentem vult temporis respondere temperamento. Vnde pituita frigida & humida cum sit, hyemi comparat. Sanguinem qui calidus est & humidus veri: flauam bilem vt quæ calida & sicca fuerit æstati: atram vero bilem, quæ quidem frigida & sicca dicitur, autumno. Cum igitur anni temporibus singuli humores augeantur, causam reddit. Cur autem pituita hyeme redundet, ex crebris scilicet pluuiis & ad auctis noctibus intelligendum. ex illis quidem humidum: ex his vero frigidum indicans.

Humores. 4. totidẽ anni partibus adæquantur.

HAbet igitur corpus humanum hæc omnia perpetuo: eaq́ pro temporum mutationibus modo augeri modo diminui contigit. Idq́ supra infraue q́ fuerit, cuiusq́ priuatim modus, vel etiam quam naturæ hominis conueniat.

Humores quatuor secundum naturã cunctis animantibus inesse, hoc loco concludit Hippocrates. Verum pro anni partibus & propria cuiusq́ natura aliquando copiosiores seipsis fiunt, aliquando pauciores iuxta tum quantitatem & copiam, tum complexionem & naturam penes similia, vnde abundantiores: & contraria ac dissimilia, vnde minores ac debiliores redduntur. Idq́ iuxta diuersas animantium naturas & temperies. Neq́ enim particularis quisq́ homo, vna prae-

præditus præcise est natura & temperie. quando intra humanæ temperiei latitudinem ampla satis et magna ipsarum cernatur differentia. Etenim hi sanguinei magis, hi vero biliosi: alij pituitosi, alij atrabilarij dicuntur: sed intra latitudinem humanę speciei. vt diximus Animatum igitur corpus ac sanguine præditum, hos quatuor semper naturales humores, sanguinem, pituitam, ac bilem tum flauam tum atram continet. qui quidem humores maiores minoresue sunt, tum quoad naturam & virtutem, tum molem & copiam penes proportionalia tempora & animantium temperiem.

Animatũ corpus. 4 semper humores in se habet.

QVemadmodum enim totus annus particeps est omnium. vtpote calidi, frigidi, sicci, & humidi. neque enim quicquam horum vllo

tempore consisteret, sine reliquorum omnium, quæ in hoc mundo sunt consortio, quod si vnum deficeret, cætera omnia simul abolerentur. quippe quæ ab eadem sunt constitutæ neccessitate & á se mutuo aluntur.

Non secundum excellentiam, calidum, frigidum, siccum, humidū: sed elementarium intelligit. Itaq; annum vniuersum omnium esse participem dixit. veluti Hyems tota frigidi & humidi: æstas calidi & sicci: Autumnus frigidi & sicci. Neque interea elementorum aliquod consistere potest, seclusa aliorum societate, quando quidem ipsorum vnum prorsus corrumpi non potest, nisi reliqua etiam corrumpantur: aut pari mensura ab eodem necessaria causa foueantur. Atque si vnum aliquod ex ipsis elementis perierit, &

& quod ex ipsis compositũ est, interire necesse est. Quemadmodum si frigidum elementũ pereat, ignis omnia erunt: et si siccum, aqua: & si non sit Æstas, Hiems est: & contra. sicuti de vere & Autumno dici potest. Et sic vniuersa in mundo generata corpora corrumperentur. Postea subiunxit materialem & alterã necessariam causam, cum dixit (et aluntur à se mutuo) id est, mutuo simul sese inuicem vt dicitur, substentantur ad generationem & transmutationem. Neq; alia est elementorum nutritio quam eorundem mutua generatio, & permutatio. cum sint corpora omnium simplicissima. Hæc enim sunt causa generationis & corruptionis. Primum tamen solis & planetarum motus vniuersales, æternæ efficientes causæ dicuntur. ex quibus illa prima corpora, communis æternaq; materialis causa nuncupatur, atq; generatio ac

Elementorum nutritio.

corruptio quælibet circa harum primarum qualitatũ temperiem, & intemperiem, formam scilicet & priuationem successione semper versantur. Huius enim temperiei & formæ generatio, est alterius temperiei et formę corruptio. & contra, huius corruptio, alterius est generatio.

AD eundem modum & homo, nam si quid eorum desit quæ sunt ipsi congenita, uiuere non poterit.

Si quo humore ex quatuor congenitis homo destituatur, nullo modo viuere posse ostendit. Congenita nanque seu cognata ipsos humores, vt alibi diximus, appellat. vtpote sanguinem, pituitã, & vtramq; bilem. Si igitur ex humano corpore, vel humidum vel siccum, vel calidum, vel frigidum abscesserit, statim humores corrumpentur, qui quidem per excel-

lentiam,

lentiam (nõ syncerè neq; exactè) sunt humidi, sicci, calidi & frigidi. Nã pituitã frigidam & humidam dicimus, non seu contrariorũ humorũ expertem, sed veluti eos superantem. Eadẽ ratione de vtraq; bile. Nam flaua, sicca est, nigra etiã sicca & terrestris esse dicitur. neutra tamen humiditatis expers, cum sit humor. alioqui oporteret esse corpus solidum sicuti adamas. Cæterum ex bilioso humore ingenij acrimonia proficiscitur: ex sanguineo affabilitas: ex melancholico cõstãtia. Sed pituita ad mores fingendos teste Gal. est inutilis. verũ de his in nostra de artis medices institutione dicemus.

INter anni tempora modo uiget hyems, aliquãdo Ver: interdum Æstas. aliàs Autumnus. Sic in homine interdum pituita prȩualet, aliquando sanguis, nonnũquam bilis: primũ quidem flaua, deinde etiam atra. Qui-

Quibus humoribus inter se mutua temperamẽti cognatio intercedit, eos suis anni temporibus mutuo respondere docet Hippocrates. Interea varijs flatibus causam attribuũt, qui praecedentes anni partes permutarunt, & ad futurum anni partium temperaturam veluti disposuerunt. Itaq; à simili argumentatur. vt in anno inquit nunc humida & frigida aqua Hyemis tempore dominatur: nunc calidus & humidus aër in vere: modo calidus & siccus ignis magis in Æstate; Postremò omnium in Autumno frigida & sicca terra; sic & in homine contingit. Nam in decrepita aetate pituita, quae frigida est & humida, sicuti Hyeme potissimum viget. In adolescentia sanguis, qui calidus est humidus. Ideoq; Veris tempori correspondet. In iuuentute flaua bilis calida & sicca, aestati conformis. In senectute verò atra bilis, sicca & frigida, autumno conferenda.

Comparatio anni totius cũ uniuersa hominis aetate.

renda. Et ita singulis anni temporibus naturales singulos procreari, & seruari humores manifestè docuit. atque rem totam exemplis sequentibus explicat.

HVius rei euidentissimum argumentum si requiras, datum eidem homini quater in anno idem medicamentum tibi indicabit. Siquidem Hyeme reijcientur per uomitum pituitosa: Vere liquidissima quædam: Æstate bilosa: & Autumno nigerrima.

Exemplo rationali confirmat humores tempestatibus anni decenter attribui. Epoto inquit vno medicamento siue illud vomitorium siue deiectorium fuerit, videbimus quidem aliàs alium humorem in purgationibus admisceri copiosius, quia singu- *Humores tempestatibus anni attribuit.*

lis

lis anni temporibus singuli dominantur humores. Eidē homini dixit. Nā si non eidem homini, nec idem medicamentū porrigi debet, sed diuersum & alterius generis, non equidē manifestū et fidum indicium reperiemus, singulos eosdē humores singulis temporibus dominari. quādo purgationes illæ variæ ac diuersæ, varijs & diuersis naturis, nec non medicaminum purgantiū diuersitati tribui possunt, et nō humoribus certis suis temporibus dominātibus. At eidem homini eiusdem generis et facultatis medicamentū vno & eodem modo quater in anno (nulla ratione temperiei medicaminis, seu cuiuscunque alterius rei habita) exhibeatur: euidentissimum patebit signum, vnum quemlibet humorem suis, vt diximus, temporibus naturaliter prædominari. Quatuor igitur naturales semper reperiri humores asserit, specie et facultate seiunctos, ac distinctos

distinctos penes eorundem efficientium, & conseruantium elementa.

CVm igitur hæc ita se habeãt, quicunque morbi Hyeme augentur, Æstate desinere solent. & qui Æstate creuerint, Hyeme finiri: nisi ex eorum sint genere, qui certo dierum circuitu terminantur. de quibus sum alio loco dicturus. Qui uere itidem morbi gignuntur, eos Autumno solutum iri spectandum est. Autumnales contra, Veris aduentu secedere consueuerunt. Quisquis hæc tempora prætergressus fuerit, hunc annuum fore sciendum est.

Exquisitis rationibus adhuc illa quę dicta sunt confirmat Hippocrates.

vtpote

vtpote de iudicio diuersitatis humorum ex eorũ vicibus successiuis sumpto. Etenim quatuor primos secundum naturam humores, quatuor anni temporibus correspondere dicebat. Pituita Hyemi, à consimili & conuenienti tempore aucta et producta. Simili modo & sanguis Veri: bilis flaua Æstati: & bilis atra Autumno. Et cũ vnus ex istis humoribus dominatur, tunc reliqui imminuuntur debilioresq; fiunt. Nam causæ contrariæ à contrarijs imminuuntur ac destruuntur. Itaq; morbos qui Hyeme augentur: Æstate finiri dixit. & qui Æstate attolluntur, Hyeme desinere. nisi ex eorum genere fuerint, qui dierum decretoriorum circuitibus finiri solent. de quibus se alio loco dicturũ policetur. vtpote in prædictionum & Epidemiorũ libris. Hanc speculationem pluribus sumus prosecuti in Aphorismis Hippocratis; aphorismo 24. lib. 2.

lib. 2. Morbos præterea annuos vocat, qui post suę generationis annum discedunt. & aliquando intra annos septem sicuti lib. 3. aphoris. indicauit. *Morbi annui qui dicantur.* *Apho. 28.*

ATque sic medicum ad morbos accedere conuenit instructum, qui singula in corporibus secundum anni tempus pro sua natura maximè constitutum, inualescere norit.

Quomodo ad morbos curandos medicus accedat, hic postremo docet Hippocrates. vt prius scilicet exuperantium humorum naturam in ipsis agnoscat. idque secundum anni tempus, temperiem, & propriam cuiusque naturam. atque omnem de anni temporibus ætatibus, locis, vitæ studijs, & quotidianę victus rationis disputationis vsum docet. Nam medicum ad

H hæc

hæc omnia circumſpectũ eſſe decet. Et vbi præpollentem cognouerit humorem, eum ne quantitate an viribus exuperet, & in qua corporis parte intelligat. Sic enim curationem optime præſcribet & adhibebit, ijs videlicet auxiliorum generibus quæ per contrariã morbis (id enim axioma eſt medicorum vniuerſale) facultatem vincãt. Quemadmodum hyeme morbis pituitoſis, per calefacientia & exſiccantia: Bilioſis æſtate, per refrigerantia & humectantia. & ſic de alijs.

Hæc volui ex Hippocrate, Galeno, Platone, Ariſtotele & alijs tum antiquorum, tum recentium monumentis breuiter ſummatimq; adferre. idq; in communem ſtudioſorum vtilitatẽ præſertim eorum qui ſua ſtudia Medicæ arti deſtinarunt. cũ alioqui alia quædam maioris exercitij iniunxiſsem excudenda.



INDEX

INDEX PRÆCIPUORUM quæ hic habentur.

FINIS.

ERRATA.

Folio 28.lim.12.lege ostensurum.fol.36.lim. 1.mixta.fol. 9.lim.13. lingua.fol 43 lim.19. tum.fol.61. lim. 5. uigiliarum. fol.91.lim.23. refrigerari.fol 22.lim.5.paterentur.fol.12.lim. 12.unũ.fol.23.lim.3.partes.fol.26 lim.2.penes fol.23 lim.16.quam.fol.70. lim.2.reperiri. Itẽ lim.9 prima fol.8. lim 22.perquàm.